

verba, licet vos et vestri praedecessores episcopi Traiectenses plures habueritis et adhuc habeatis officiatos merito commendandos, illorum tamen prae ceteris est (f. 243^v) memoria specialiter recolenda et saepius recitanda, qui plus ceteris terram vestram et episcopatum in castris, munitionibus, iurisdictionibus et possessionibus dilatasse et provexisse noscuntur, ut eorum exempla sequentes moderni, qui officia gubernanda suscipiunt, tanto diligentius tantoque fidelius in ipsis se studeant exercere officiis. Et de illis inveniendis, quorum facta merito sunt laudanda atque aliis in exemplum revocanda, vestrae reverentiae vestrorumque experienciis cum humilitate relinquo, quod tutius reor me omnino non scripsisse quam aliquid posuisse dubie; sed hi procul dubio recommendandi sunt, qui, ut reperio in cronicis quibusdam non modernis, omni tempore officii sui nullum sibi fecerunt nec procuraverunt fortilicium, sicut proh dolor! nunc temporis officii plurimum faciunt, et castra dominorum suorum ruere quandoque permittunt et perire.

Item castra vestra in edificiis et condeudentiis integra conservetis et conservare faciatis et, dum tempus requirit, prout possibile vobis erit et necessitas requirit, munita hominibus et victualibus provideatis. Item, quantum in vobis est, cum omnibus tam dominis quam terris pacem habeatis, quia ecclesiasticorum est non armis aut galea protecti incedere salcim(?) invasuris, sed solum signo fidei armati in agricultura laborare, cuius formam gerunt, Iesu Christi. Item in guerris et actibus bellosis¹, si quando insurgunt tempestatum more ab invasoribus dominis et principibus, qui proh dolor! hodie, licet ad hoc orti, licet ad hoc nobilitati, ut dei ecclesiam defendant, ipsi suam malitiam in eandem plus ceteris, ut frequenter, exercent et extendunt: (f. 244) si huiusmodi ecclesiae vestrae occurrunt, semper vos confortatum, constantem atque magnanimum vultu et animo ostendatis, non solum in prosperis seu minimis, verum etiam in magnis et adversis, illud attendentes magnifici Machabaei primo Machabeorum², ita exercitus suos exhortantis: 'Facile est multos concludi in manus paucorum, et non est differentia in conspectu dei caeli liberare in multis et in paucis, quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de caelo fortitudo est; ne timueritis multitudinem eorum, et nunc clamemus in celum, et miserebitur nostri dominus'. Seniorum con-

1) So Hs. 2) 3, 18. 19. 4, 8. 10.